

Samosatenum & Photinum intercessere medii varii hæretici, ab iis planè dissimiles: idque docet Epiphanius. Sed quia tetrum Samosateni errorem Photinus renouauit, propterea hunc illi subiicit Augustinus. Hieronym. in Galat. 1. coniungit Photinianos cum Ebionitis: sed dogmatis ratio, etsi cum Ebionitis habuit aliquid commune, plura tamen cum Samosatensianis retinuit. Hæc autem hæresis à Photino Photiniana, à Marcello Marcelliana, & à Lucio episcopo, Luciana quoque dicta est. Fuit autem tempore prior Marcellus & Photini præceptor, Ancyra, quæ fuit Galatiæ metropolis, vt ait Plinius libro 5. capite 32. episcopus. Vnde Ancyranus appellatur, non Anticyranus, vt ignoranter à quibusdam appellatur. Fuit enim Anticyra Phocidis vrbs in Græcia, longissimo terrarum interuallo ab Ancyra Galatiana distita. Marcellus autem vixit sub Constantino Magno, qui quum Asterio Ariano respondere vellet, more stultorū, qui dum vitant vitia, in contraria currunt, incidit in Samosatensismum. Itaque primū Hierosolymitana, deinde Constantinopolitana Synodo damnatus, iussusque librum suum comburere, non paruit: vnde episcopatu abdicatus est, in quem tamē postea Sardicensi concilio, quòd se suūque scriptum nunquam intellectum fuisse diceret, restitutus est, quemadmodum tradunt Socrates lib. 1. cap. 36. & Sozomen. lib. 2. capite 33. Fuerunt autem hæ illius hypotheses erroneæ. I. Trinitatem esse deitatis vt ceræ cuiusdam liquefactæ extensionem, quæ etiam pro vsu & œconomia contraheretur postea in vnum. Itaque ex Patre extenso Filium, ex Filio extenso Spiritum sanctum productum esse.

esse.